



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Fasti Mariani

**Brunner, Andreas
Pfeffer, Wilhelm**

Antverpiæ, 1663

S. Casimirus Conf. 4. Martij.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41940

4. Mart. VITÆ SANCTORUM. 149
reliquit, nullā deinceps arte confusas vel
deletas. Morituræ de cælo Henricus ob-
viā iit, ad sistendum ludici orbis mi-
raculum, Imperatores conjuges sed
virgines: ad tumulum ejus multis vita
reddita; qui cùm KUNEGUNDEM ma-
trem suam salutarent, probarunt imme-
ritò virginitati sterilitatem objici; quid?
quòd nec ipsa gleba, sub quâ virgo cu-
bat, infecunda fuit, sæpe in thus & far
conversa, persuasura mortalibus, nec
fragrantiorem esse castimoniâ virtutem,
neque felicius ullum germen. Ex vita
apud Gretserum.

Si aliqui denobis vel malè fingendo, vel
malè credendo famam nostram decolorare
conantur, adsit conscientiæ solatium,
quòd merces nostra magna est in cælis,
etiam cùm dicunt homines multa mala de
nobis piè tamen justeque viventibus. Aug.
de bon. Viduit.

S. CASIMIRUS CONF. 4. Martij.

CASIMIRUS Casimiri Regis Polo-
niæ F. neandum ephebis egressus in
ipsa jam adyta sanctitatis est ingressus.
Coronam Ungariæ quanto alii studio vel
ambire vel rapere solent, tanto ille re-
pellere à capite suo adlaboravit. Summâ
hyeme nudis pedibus nocte templa obi-
bat; purpurâ non corpus, sed cilicium
tegebat: somnum humi capiebat,
K 3 gnarus

150 VITÆ SANCTORUM. 4. *Man-*
gnarus nusquam alibi tam securos casti-
tatem somnos dormire. His studiis oc-
cupatum morbus invadit. Lamentantur
parentes; illacrimatur aula; adgemiscunt
regna. Circumstant interea lectulum
medicorum turbæ, medicinam facilem
nuptias suadent, concessam ægro volup-
tatem. Sed noluit ille vivere, nobilissi-
mâ animæ parte virginitate emortuâ. I-
taque ne non virgo moreretur, juvenis
moritur, dignus qui in omnium ore ac
calamis vivat. Et verò vivere etiam post
mortem Poloni compererunt, cùm can-
didissimo equo in vectus contra Moschos
moventibus Dux adfuit, & traductis per
aquas compendium ad nobilissimam vi-
ctoriam monstravit. Quin cùm anno
obiisser à pariente VIRGINE M. CCCC.
LXXIII. anno deinde M. DC. IV. cor-
pusculum virginicum unâ cum versibus
quos in laudem VIRGINIS panxerat, se-
cumque tumulto inferri mandaverat, in-
tegerrimum est repertum. Legant hoc
ii, qui insuper habent macerare quotidie
castitatem; cui tamen mors ipsa non
nisi volenti vim facit, quin mortuæ et
jam timet manus inferre. *Ex vitâ.*

*Quousque caro misera, insipiens, caca-
demens, ac prorsus insana transitorias &
caducas querit consolationes, imò desola-
tiones; si forte contingat repelliri & indi-
gnum judicari cœlesti gloriâ, & aeterna
cruciari pœnâ? S. Bern. serm. 6. de Adv.*
S. CO-